

sulcaturus ejus facies, sudarium ejusdem semper lacrymis maderet. Ergo precemur Christum ut et nos respiciat, quo et ipsi cum Petro deslere peccata nostra perenniter possimus.

§ XIV. — CONCILIUM MATUTINUM ET JUDÆ INTERITUS.

I. Mane rursus concilium convocant. — II. Proponunt easdem questiones. — III. Respondet Christus. — IV. Dicunt: *Quid adhuc desideramus testes?* — V. Judas pœnitentia ducitur. — VI. Refert triginta argenteos. — VII. Respondent: *Quid ad nos?* — VIII. Judas abjicit argenteos. — IX. Laqueo se suspendit. — X. Principes dicunt: *Non licet eos mittere in carbonam.* — XI. Emerunt ex iis agrum.

THEMA.

Ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, etc.
Luc. XXII.

Quæ hucusque diximus, nocte illa tristi, quæ præcessit parasceven, facta sunt. Nunc illucescit dies, inquam, tandiu desiderata, in qua reparandum est humanum genus, devincenda mors, claudendus infernus, cœlum aperiendum, Scripturæ implendæ. Hæc est illa dies, quam ante multa sæcula videre desideravit Abraham cum omnibus credentibus; imo hæc est dies, quam ipse etiam Christus desiderio desideravit: denique hæc est dies, quam principes Judæorum avidè expectabant, sed valde dissimiliter. Abraham cum fidelibus ut a Christo redimerentur; Christus ut eos redimeret; Judæi ut Christum perderent. Quare deinceps expendamus, quæ hoc die facta sunt.

I. Mane iterum concilium instituunt principes sacerdotum, scribæ et seniores. Primo, ne minus legitimè censeretur, quod noctu haberant, et forte aliquibus absentibus, ne quis objiceret eis rem parum exacte et semel tantum ponderatam esse. Quam callidi ad nocendum serpentes! Quam *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem!* Nos vicissim quam ad bonum tardi sumus!

Secundo, ut deliberarent de modo et ratione tradendi Christum Pilato et perdendi. Decretum jam illis erat noctu, Christum omnino perdere; de via nunc inquirunt, ideoque iterato quærunt.

II. Proponunt ei easdem questiones, quas in nocturno conventu proposuerant. Prima, *Si tu es Christus, dic nobis: secunda, Tu ergo es Filius Dei?* Primo, quia conscientia urgente, jam occupati erant justo dubio, num ipse foret Chris-

tus? Ex communi scilicet fama, ex miraculis, ex conjurata ejus assertionem, etc.

Secundo, ut experirentur ejus constantiam in sermone: et si iterato assereret, fortius accuserent et convincerent. Hoc enim quærebant, ut rursus assereret se esse Christum et Filium Dei; unde cum ad primum non responderet categorice, urgebant alterum: *Tu ergo es Filius Dei?* Quasi hoc jam confirmasset modo.

III. Respondet Christus ad primam questionem: *Si vobis dixerò, non creditis mihi; si autem et interrogaverò, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* Viderat enim Dominus, non deesse eis rationem credendi, sed voluntatem: velle eos audire responsum, sed non credere; ideoque inventum spargere verba noluit.

Addit tamen, quod et prius noctu responderat: *Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei,* quia obstinatis nihil magis inculcari debet, quam terror divini judicii. Si ex hoc non moveantur, frustra adhibentur alia.

Ad secundam respondet: *Vos dicitis quia ego sum.* Confirmat iterum, quod noctu eis responderat, ne quis existimet priorem confessionem sibi excidisse, et ne nobis dubium aliquod de sua confessione relinquat.

IV. *Tunc dixerunt illi: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus.* Videbantur sibi reum jam convictum habere; ex responsione, quæ accuratius expendi ab illis et differre sententiam debebat. Itaque velut re connecta *surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum.* Ita malis omnia mala, et aranea quidquid sugit, venenum fit.

V. Tunc videns Judas, quod damnatus esset, pœnitentia ductus est; quia nimirum vel non putabat eum ad mortem condemnandum, vel si id putabat, postea spectaculi presentia et executione commotus pœnitere facti cepit; solent enim præsentia magis movere, quam futura, et quæ oculis cernuntur, quam quæ intellectu prævidentur. Hoc modo multi multa incipiunt, quorum exitum malum vel non vident, vel minus apprehendunt: postea autem finem amarum dum experiuntur, stultitiæ se arguunt, capillos sibi vellicant et sero pœnitent.

Sed inanis fuit hæc ejus pœnitentia, licet ad dolorem accesserit confessio et restitutio. Nam dolor non fuit qualis esse debebat, ex motivo supernaturali, nec cum spe veniæ conjunctus et confessio non fuit facta ei, cui debuit.

VI. Retulit Judas triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus dicens: *Peccavi, tradens sanguinem justum.*

Fecit hoc primo, Dei dispensatione, ut hoc factio

Christi innocentiam principibus contestaretur, ipsosque emptores de iniquo contractu argueret, atque ita totum orbem a scandalo liberaret, siquidem et venditor seipsum palam injustitiæ accusat, et magistrum suum ab omni noxa immunem proclamatur.

Secundo, ut quantum in se erat, pactum rescinderet; siquidem in pecuniariis causis *refuso pretio jus solvitur*, ut ait Sanctus Ambrosius, l. X. super Lucam. Non ergo longe aberat Judas a regno cœlorum, quia ad pœnitentiam bene incepit ire. Doluit, confessus est scelus suum, restituit, retractavit pactum quantum in ipso erat: nec verebatur principes injustitiæ tacite accusare. Vide ergo, pœnitentiam vel ex unico defectu inanem esse.

VII. *Responderunt illi: Quid ad nos? Tu videris.* Causa hujus responsionis ex parte Judæorum est omnimoda obstinatio. Respuunt audire testem omni exceptione majorem: nec ejus testimonium curant examinare, ne quis eis scrupulus injiciatur ad dimittendum Christum, quia decretum illis erat, occidere quem oderant, quocumque tandem jure. Itaque *luce veritatis ad eos hic penetrante factio ignorantia velamine stulte se operiunt*, inquit Chrys.

Secunda ex parte providentiæ divinæ, ut sic Judas puniatur, rideatur et repellatur ab illis ipsis, in quorum gratiam tam enorme scelus patratum. Ita Sichimitæ deleti sunt ab illo ipso Abimelech, cujus ambitioni morem primi gesserunt, cujus scelera foverunt et præmiarunt regia dignitate, Judic. VI. Sic Anna Bolena ab Henrico rege Angliæ occisa, quæ contra legitimam conjugem ob impuros ejus amores ab eodem erat inducta.

VIII. *Tunc Judas projectis argenteis in templo recessit.* Primo, id fecit ex odio iniquissimi pretii. Ita enim quæ initio perperam amantur, postea cane pejus et angue odiuntur: ut soror Amnon, II. Reg. XIII.

Secundo, urgente conscientia, ut sic quomodocumque eam exoneraret, nolens cum iniquo pretio mori, cujus pondus ferre non potuit. Pecunia tam avidè quæsita nunc fit ei carnifex. Videant illi, qui aliena non restituunt. Non mentitus est Sapiens, Prov. XX. cum dixit: *Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo.*

Tertio, dispensatione divina, ut hæc pecunia (quæ ante pedes sacerdotum effusa, directa fuisset a militibus forte) servaretur ad mysterium et ad publicum testimonium iniquissimi sceleris Judæorum, et condemnationis Christi injustissimæ.

IX. *Abiens laqueo se suspendit.* Fecit id ex nimia et inordinata tristitia seu desperatione, quod cum videret Dominum jam condemnatum, peccatum suum putaret inexpiabile; eo nimirum adegit eum, primo, carnifex conscientia, secundo, dæmon sua suasionem. Solet enim is primo, cum patrandum est peccatum, id extenuare, post ubi patratum est, exaggerare, ut spem veniæ adimat. Tertio, eo promovet illum sacerdotes et seniores, cum dixerunt: *Quid ad nos? Tu videris.* Quod si prudentes et benevolos offendisset animæ medicos, bene sperari poterat de ejus conversione. Viderint ergo qui erga pusillanimes peccatores nimis sunt austeri, ne *limum fumigans extinguant.* Illi fuerunt laqueus Judæ, quo se suspendit, uti Os. V. de similibus dicitur, *laqueus facti estis speculationis*, id est, iis qui vestræ speculationi seu curæ commissi sunt.

Cæterum id permisit Deus. Primo, quia Judas secundum impœnitens cor suum toties monitus, thesaurizavit sibi thesaurum iræ. Vide quam sit periculosum, pœnitentiam differre semper et nolle audire Deum vocantem.

Secundo, ut judices possent vel hinc etiam colligere Christi innocentiam, cum viderent proditorem sceleris immanitate ad restem esse adactum.

Tertio, in exemplum avarorum, ut appareat quam verum sit illud I. Tim. VI. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli.* « Judas dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum, » ait S. Leo. serm. IX. de passione. *Avem auceps modica esca in laqueum trahit: sic dæmon Judam.* Ex parvis furtis devenit tandem Judas ad magistri proditorem: sic qui per fas et nefas divites fieri volunt. « Audite ista, audite, inquam, avari (ait Chrysost.) versate animo quid ille passus sit, nam et pecuniam amisit et scelus admisit et animam perdidit. Hæc atrox avaritiæ tyrannus facere solet. Non est argenteo nec hac usus vita, non fruetur futura: universa simul amisit. »

Quarto, ut pœna responderet delicto: quia enim *spiritum oris sui*, Christum in captivitatem tradidit, Thre. IV. quid mirum, si spiritu oris sui intercluso et ligato, vitam perdidit? Deinde, sicut laqueus collo injectus intercludit spiritum, ita excludit Spiritum sanctum desperatio, quæ Judam perdidit. Rursus quia jure guttur stringitur per quod vox proditorem prodiit. Denique recte inter cœlum et terram pendet, quia tradidit illum, qui de cœlo in terram venit.

X. *Principes acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in carbonam, quia pretium sanguinis est. Vere culicem liquantes, et camelum glutien-*

tes, ait D. Hieronymus. Putant enim non licere pretium sanguinis mittere in carbonem, et interim non dubitant Christum occidere, et quidem in ipso paschate. Dicunt ergo hoc primo, ex hypocrisi, ut appareant religionis valde studiosi, qui pretium sanguinis Deo offerri nollent, quod ei oblatum a Juda videbatur, utpote in templum projectum. Timuerunt pretio sanguinis polluere ararium templi et non trauerant sanguine Christi pollere animas suas.

Secundo, ex divina dispositione. Non vult enim Deus offerri sibi dona iniqua et sanguinem et sudorem pauperum; imo hæc abominatio sunt illi, Deut. XXIII. Prov. XXI. juxta id: *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.*

XI. Emerunt ex iis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Fecerunt hoc illi ex hypocrisi, ad conciliandam sibi auctoritatem et opinionem religionis; vel etiam ad obscurandam Christi memoriam. Sed ita factum et constitutum est juxta prophetiam Zachariæ divina ordinatione. Primo, ut hinc potius Christi mors innocentissima, et Judæorum scelus iniquissimum toti orbi pateret. Ideo vulgo vocatus est ager ille *Haceldama*, id est, *ager sanguinis.*

Secundo, ob mysterium; repræsentat enim ager ille Ecclesiam Dei, qui est figulus noster, quia sanguine Christi empta, redempta, plantata et irrigata est, et quidem in sepulcrum peregrinorum, ut in ea requiescerent Christiani, qui se advenas et peregrinos agnoscunt, I. Pet. II. neonon et mortuos in hac vita, Coloss. III. Quo loco ait Chrysost. « Nihil hac sepultura beatius, super qua gaudent omnes et angeli et homines et angelorum Dominus. »

§ XV. — ACCUSATIO CHRISTI CORAM PILATO.

I. Vincientes Jesum ducunt in prætorium principes et seniores. — II. Ducunt ad Pilatum et tradunt gentibus. — III. Non introeunt in prætorium. — IV. Exit ad eos Pilatus. — V. Respondent Judæi: *Si non esset malefactor.* — VI. Ait Pilatus: *Accipite eum vos.* — VII. Dicunt: *Nobis non licet occidere.* — VIII. Incipiunt eum accusare. — IX. Intrat in prætorium Pilatus. — X. Jesus stat ante præsidem.

THEMA.

Surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Luc. XXIII.

Sat multum itineris confecimus jam cum Christo, auditores: sed nequaquam adhuc finis est, imo grandis adhuc restat via, priore longe

asperior. Nunc enim traditur Dominus in manus gentilium et ducitur ad Pilatum, brevi educendus ad supplicium. Nunc videmus innocentem nostrum Josephum a fratribus suis tradi Ismaelitis, Gen. XXXVII. nunc videmus fortissimum nostrum Samsonem tradi a sua Dalila, id est, synagoga in manus Philistæorum, Jud. XVI. Quoniam igitur hucusque comitati estis Christum auditores, pergite ulterius, scientes quia si socii fueritis passionis ejus, eritis et gloria.

I. *Summi sacerdotes cum senioribus et scribis et universo concilio, vincientes Jesum duxerunt, etc.* Comitatus sunt eum principes et seniores: primo, ut sua auctoritate et præsentia cohiberent populum, ne quid in itinere tentaret ad eum liberandum, præsertim quia Judas dixerat: *Tenete eum et ducite illum caute.*

Secundo, ut sua auctoritate urgerent Pilatum, quo statim absque examine causæ eum condemnaret.

Tertio, ne quis coram Pilato favere ei auderet. Ecce quam *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*, Psalm. XIII. *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt*, Jerem. IV.

II. *Duxerunt ad Pilatum et tradiderunt gentibus*, quia Judæis non licebat interficere quemquam, uti fatentur ipsi. Erat ergo eis a Romanis ablata ea potestas. Ac licet Pilatus eam potestatem concedere eis voluerit, cum dixit: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate*, eum tamen acceptare noluerunt, tum ut crimen injustæ cædis a se in Pilatum transferrent, quasi non ipsi sed Pilatus eum occiderit; tum ut videretur Christus justius condemnatus, utpote non ipsorum tantum Judæorum, sed gentilis etiam præsidis judicio: tum ut a gentilibus durius tractaretur, adeoque crucifigeretur; denique ex Dei consilio, ut indicetur, Christum a Judæis ad gentes migraturum cum evangelio et regno suo; et quidem jure merito, quoniam eum a se ablegarunt et gentibus tradiderunt. Ita Joseph venditus a fratribus et ductus in Ægyptum, salutem attulit in Ægypto, famescentibus interim domi fratribus.

III. *Non introierunt prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Habebant enim uti gentiles, ita gentilium domos pro immundis, licet ex nulla sua lege; unde produnt suam hypocrisin, dum timent contaminari habitaculo alieno, non autem sanguine fratris sui innocentis, *Sanguis ejus super nos*, exclamant: et ab ædibus Pilati longe abesse volunt. « O impia et stulta cæcitas! (exclamat Augustinus) habitaculo videlicet contaminarentur alieno et non contaminarentur scelere proprio. » Nos in

men hinc discamus quam longissime abesse a sanguinis effusione, et rursus sine ulla peccati labe comedere pascha nostrum, s. eucharistiam, item fugere conversationem Judæorum, quandoquidem ipsi adeo abominantur nos et nostra. Denique graviora peccata magis fugere quam minora, veterem fidem majoris æstimare quam vetus calendarium, quod non faciunt nostri hæretici.

IV. *Exiit ergo Pilatus ad eos foras et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Exiit ad Judæos tametsi subditos, ob eorum religionem, vel superbiæ eorum cedens. Quid faciamus nos Christiani si hoc gentilis fecit? Accusationem audire voluit. Primo, quia « Non est consuetudo Romanis (ait Festus, Act. XXV.) damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, etc. » Disce temere non judicare, nec quemquam condemnare, non audita causa et accusati defensione. Secundo, quia sciebat utique famam sanctitatis Christi. Tertio, quia sciebat quod ex invidia tradidissent eum.

V. *Responderunt Judæi: Si non esset hic malefactor, non tibi tradissemus eum.* Dicunt hoc primo, ex superbia, quasi sola eorum auctoritas sufficere debeat Pilato, ut ad nudam eorum petitionem statim condemnet Christum. Cujusmodi fastus etiam in Luthero fuit: dixit enim os suum esse os Christi, et verba sua esse verba Christi, et certum se esse, doctrinam suam se habere de cælo, velle se doctrinam suam a nemine judicari, nec ab angelis quidem. Voluit ergo et ipse auctoritate sua obtrudere mundo figmenta sua quomodo Judæi Pilato. Secundo, ex diffidentia causæ suæ; sciebant enim quam tumultuario et iniquo processu Christum condemnarint. Mens male sibi conscia, semper diffidit sibi. Ita diffidebat etiam doctrinæ suæ Lutherus, ejus rationem reddere jussus et vocatus ad Concilium, comparere noluit, et si alicubi comparuit, clandestulum iterum aufugit, causæ suæ diffusus, et pelli suæ timens.

VI. *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos et secundum legem vestram judicate.* Dixit hoc Pilatus, ex justa indignatione, nolens propter Judæorum nudam auctoritatem in gratiam eorum quidquam machinari contra Christum, nisi causa prius legitime cognita, juxta juris præscripta et consuetudinem Romanorum. Secundo, ex justo timore, volens periculosa hac actione se liberare, potius et Judæorum quam suæ conscientie imponere. In hunc modum debet judex attendere ad justitiam et non ad personam hominum: et

II. PARS HIEMALIS.

si in hac arctetur, potius abdicare se officio suo, quam inique administrare.

VII. *Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam.* Hujus dicti causas vidimus, Psalm. II. quibus hanc addit Joannes: *Ut sermo Jesu compleretur quem dixit significans, qua morte esset moriturus.* Quia nimirum gentibus tradendus esset ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.

VIII. *Cæperunt illum accusare dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.* Coacti ergo Judæi, accusationes afferunt tres, sed in prima et secunda mentiuntur; non enim subvertit sed convertit Judæos, nec prohibuit sed jussit dare census Cæsari: in tertia maligne loquuntur, quasi regnum terrenum affectasset et Cæsari ereptum ivisset, cum tamen expresse illis confessus sit se Messiam quidem esse, regem vero non terrenum sed cælestem, sessurum a dextris Dei.

IX. *Introivit ergo in prætorium iterum Pilatus et vocavit Jesum.* Fecit hoc, ut, quod judicem decet, et audiret partem alteram: quomodo Alexander Magnus accusatoribus unam concedebat aures, altera oclusa quam reservabat accusato. Atque hoc ut faceret absque tumultu, introivit in prætorium.

X. Jesus stetit ante præsidem. Primo, tamquam reus ante judicem, jussa et sententiam expectans. Quale hoc spectaculum? Servus sedet et Dominus ante ipsum stat. Secundo, ut doctor et concionator ante auditores suos, quibus verbum veritatis prædicare intendit.

§ XVI. — EXAMINATUR A PILATO CHRISTUS.

I. Interrogat præses: *Tu es rex Judæorum?* — II. Respondet Christus: *A temetipso hoc dicis?* — III. Respondet Pilatus: *Numquid ego Judæus sum?* — IV. Respondet Jesus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* — V. Respondet Pilatus: *Rex es tu?* — VI. Respondet Jesus: *Rex sum ego.* — VII. Dicit ei Pilatus: *Quid est veritas?* — VIII. Ait Pilatus: *Nihil invenio causæ.* — IX. Illi invalescunt dicentes: *Commovit populum.* — X. Ait ei Pilatus: *Non audis quanta adversum te dicunt? Non respondet Christus, et miratur Pilatus.*

THEMA.

Interrogavit eum præses dicens: Tu es rex Judæorum? Matth. XXVII.

Quarto Reg. XX. legimus Ezechiam regem ad mortem ægotasse; cæterum cum rogaret Deum,

donatam et protractam illi vitam. In cuius rei fidem miraculum summum patratum est. Fecit enim Deus ut umbra solis, adeoque ipse sol, ut habetur Is. XXXVIII. in horologio Achaz, decem retrocederet lineis. Propter quod missos esse legatos Babylonis ad Ezechiam, interrogatum de portento, quod acciderat super terram, legimus II. Par. c. XXXI. Ezechias æger humanum genus designat, quod peccati morbo laborabat usque ad mortem. Sed enim sol justitiæ Christus Dei Filius, misertus est illius, ad eumque sanandum retrocessit decem lineis, humiliando se infra novem angelorum choros infraque ipsum hominem, cui se subiecit, quoque inferior factus est. Nam qui absolvit omnes, ille ab hominibus ligatus est: et qui vultu suo beatificat omnes, ille ab hominibus velatus et consputus est; qui omnium est magister, ille examinatus est a discipulis; qui omnium est iudex, ille iudicatus est: qui vestit omnes flores omniaque animalia, ille nudatus est; qui pascit et potat omne vivens, ille siti aruit; qui cœli et terræ Dominus est, ab urbe sua exclusus est; qui flagellat omnes reprobos, ille flagellatus est; qui coronat reges, spinis coronatus est; qui dat vitam, subiit mortem. Annon est illud, quæso retrocedere decem lineis? Porro nunc missis aliis, examinemus Christi examen.

I. *Interrogavit eum præses: Tu es rex Judæorum?* Hanc unam ex tribus allatis accusationibus arripit Pilatus, quod maxime urgeretur a Judæis, reliquas negligit, vel quia falsas existimat, vel quia minus ad se pertinentes minusque ponderis habentes. Unde discimus vel a Pilato parvos, qui de proximis referuntur, defectus contemnere, nec curiose rimari ea, quæ tuæ causæ non ob-sunt.

II. *Respondet Christus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?* Præmisit hanc quæstionem suæ responsioni categoricæ primo, ut Pilatus iteratâ interrogatione aperiret audientibus, se non ex curiositate aut joco (quod alii poterant cogitare; et forsitan Pilatus clam risit cogitans: Tunc tam abjectus homo sis rex? etc.) sed ex officio judicialiter et serio quæstionem hanc proponere, ut ita majus pondus majoremque gratiam et fidem apud audientes responsio haberet, quam merito apost. I. Tim. IX. *bonam confessionem* appellat quia in ea versatur totius religionis nostræ cardo. Si interrogatio Pilati putaretur facta non judicialiter, sed vel joco vel ex propria curiositate, sane Christi responsio tantum fidei momentum non haberet. Secundo, forte ideo, ut Pilatum invitaret ad veritatem cognoscendam et iniquum iudicium declinandum, q. d. quærisne hoc a me ex privato et serio cognoscendæ veri-

tatis desiderio, quia scilicet aliquid in me notaris vel ab aliis audieris, quod tibi persuadat me regem esse? Beatum te, si hoc permotus stimulo doceri a me velle. Beatum te, si hanc tam altam sapientiæ aquam a me peteres! Eam enim tibi libens subministrarem. Sed frustra movit Christus. Non vult Pilatus discere a Christo, quod sibi prosit. Judicem tantum vult agere et officio suo publico satisfacere; idcirco non nisi commotione replicat se non privato veritatis indagandæ studio. (quia nihil sibi cum Judæorum secta esset) sed accusatorum tantum testimoniis motum ad hoc quærendum. Discere hinc quam difficile sit corrigere et instruere principes et magistratus, qui non tam discere humiliter, quæ sibi sunt utilia, quam docere arroganter, et potius agere publica volunt, quam propriæ attendere salutem. Ob eandem causam Pharisei cæco illi dicenti: *Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?* indignati maledixerunt dicentes: *Tu discipulus illius sis, etc.* Joan. IX. sic etiam multi non proficiunt e concionibus, quia eas non tam veniunt discere, quam discutere.

III. *Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt tibi, quid fecisti?* q. d. nihil mihi cum secta vestra: nunc volo ut tamquam iudici dicas quid fecisti? Sed, o Pilate, quam te hic uno ictu prosternere potuisset Christus, si tibi categoricè respondere voluisset? Quid enim aliud respondere debebat quam illud Eccles. c. XXIV. *Ego (Dei sapientia) ex ore Altissimi prodivi, primogenitus ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram* (quando scilicet adhuc tenebræ erant super faciem abyssi). *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circumivi sola et profundum abyssi penetravi et in fluctibus maris ambulavi, et in omni gente primatum habui: et omnium excellentium et humilium corda virtute calvavi, etc.* Quid dicturus fuisses, Pilate, si hæc tonitrua audisses? Verum Christi modestia et humilitas continuavit e ejus, ut nos disceremus non nos ipsos commendare aut jactare, tametsi occasio percommenda nos ad hoc proliciatur; sed heroica humilitate secreta nostra nobis reservare.

IV. *Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis, nunc autem regnum meum non est hinc.* Apertè hic Christus, nequaquam se esse regem, qui timeri a regibus terrenis debeat, eo quod regnum ejus non sit de hoc mundo, id est, simile regnis mundi, vel de mundo ortum: si enim tale esset, fore se ad instar regis militibus stipatum, cæteraque ad regem pertinentibus instructum. Unde

intelligere debuit Pilatus nihil Cæsari suo metuendum esse a Christo, quod perperam calumniabantur Judæi. Tacite interim et modeste innuit Christus regnum se habere, sed quod de cœlo, id est, cœleste sit et spirituale, tum in Ecclesia militante, tum in triumphante; quod non opibus sed operibus constet, cœlum non terram quærat, non tamen aperte hoc exponit, quia non erat necesse, capere id Pilatus poterat. Quam felix qui hoc dicere potest: *Regnum meum non est de mundo.*

V. *Respondit Pilatus: Ergo rex es tu?* Intellexit Pilatus tacitam Christi confessionem; unde fortius instat ut eliciat veritatem et expressam confessionem, confessionem inquam bonam, uti vocat apostolus, sed nobis, non Pilato; qui instar canis venatici diligenti sua indagine, nobis prædam cepit, non sibi aut Judæis. In hunc modum filii hujus sæculi laborant, currunt, navigant, fingunt non tam sibi, quam posteris. *Stulte, quæ parasti, cujus erunt?*

VI. *Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam.* Præclaræ tres sententiæ. In prima modeste concedit, quod concedi necesse erat, regem sese esse: ut doceat nos, si quid a nobis dici debeat, quod in nostrum honorem cedat, cum verecundia et modestia eloqui. In secunda videtur respondere ad alteram quæstionem propositam a Pilato: *Quid fecisti?* Ait ergo factum suum hoc esse, quod docuerit veritatem; siquidem ad hoc natus sit. Testatur hoc de Christo Josephus licet Judæus, lib. VIII. antiq. cap. VI. *Fuit Jesus vir sapiens, inquit, si tamen eum virum fas est dicere; erat enim mirabilium patrorum et doctorum, qui libenter vera suscipiunt.* Quam hoc testimonium strângulat Judæos! Sed nimirum ipsi amatores vanitatis, quam Christus arguebat, non veritatis erant, idque fundamentum totius accusationis et necis Christi erat. In tertia doctrinam suam a contumelia vindicat: deinde invitatur ipsum Pilatum ad veritatem indagandam audiendamque. Ecce ubique seminat seminum Dominus, etiam ubi spes super petram, ubi natum aruit, quia non habebat humorem. Unde sequitur.

VII. *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos.* Ecce tibi motum aliquem in pectore Pilati, sed quam inconstantem? Licetatur pretium margaritæ: sed quia virtutem ejus non agnovit, nec æstimavit, non expectato responso abiit. Ecce tibi *virum illum, considerare se cepit in speculo, sed mox abiit et sui oblitus est*, Jac. I. quia nimirum non ut mulier, sed ut vir se consideravit, hoc est fortuito tan-

tum, non ut se emendaret. Ecce tibi lupum stantem supra prædam; sed dum circumpicit, statim oblitus prædæ suæ, abijt ventre vacuo. Hunc in modum plurimi scire vellent viam salutis, veram fidem, rationem extricandi conscientiam suam a dubiis et scrupulis, sed rem serio non agunt, nec tempus sibi ad hoc sumunt, ut ad fundum veritatis veniant. Alii speculantur solum rerum definitiones: sed non faciunt quæ debent. Alii quæ audierunt, statim obliviscuntur, quia nesciunt pretium veritatis.

VIII. *Ait Pilatus ad principes sacerdotum et turbas: Nihil invenio causæ (non miror quod non inveneris causam, quia recondita erat, etc.) in hoc homine.* Ecce alterum testimonium innocentiae ab ipsis adversariis datum. Primum dedit Judas, secundum dat Pilatus, tertium dabit uxor Pilati, quartum centurio. Deinde ecce tibi magnanimum et imperterritum Pilati animum. Palam enim et aperte Christi innocentiam, accusatorum vero injustitiam et calumniam contestatur, quod nimirum hoc legitimo didicisset examine. Fortem se huc usque præstitit Pilatus, et qui aliis iudicibus possit esse exemplo, si in posterum etiam talis perstitisset.

IX. *At illi invalescebant dicentes: Commovit populum docens per universam Judæam incipiens a Galilæa usque huc.* Quia per juris viam nihil se impetrare vident, clamoribus agendum censent. Ita nimirum contentiosi homines conantur obtinere per clamores et minas quod non possunt per justitiam. Atque ut litigantes præ animi impotentia cæcati, modo hoc, modo illud crimen objiciunt, nulla nisi veritate, et sæpe ea criminantur, quæ laudis potius sunt: ita hic fecere Judæi. Accusabant Christum in multis, ait S. Marc. sed quænam illa? Nova an vetera, certe calamo indigna: et cur non ipsi Judæi posteris tradiderunt? Adduntque commovisse populum docendo, quod laudandum erat, non criminandum.

X. *Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicant testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.* Non respondit Christus, primo, quia mori voluit; secundo, quia calumniæ erant satis manifestæ, quæ melius non refelluntur quam silentio: tertio, ut castigaret falsam excusationem primorum parentum et nostrum omnium qui errores nostros palliare et excusare solemus: quarto, quia noverrat Judæos non acquiescentes, qui eum occidere volebant per fas et nefas. Merito autem miratur Pilatus primo, quia miraculum est, mortem non declinare cum possis, omnium terribilium terribilissimam. Secundo, quia miraculum est, non refellere crimina falso tibi imposita. Hinc didice-